

*Commissio de restitutione Valachorum, juxta Articulos in novissima Soproniensi Diaeta constitutos reassumenda: et ut Capitanei ea quae jam constituta et ordinata sunt, exacte observent.*

### A r t i c u l u s 51.

§. 1. Interim vero omnia, quae in dicta inchoata Commissione, circa bona Caproncensia, restitutionem Territoriorum et fundorum per Capitaneos Confiniorum occupatorum et jurisdictionem Dominorum Terrestrium, ac Liberarum Civitatum, constituta et ordinata sunt; quam diligentissime observerunt et effectuentur. \*)

*Pro querelarum privatorum Regnicolarum in partibus Sclavoniae et Croatiae revisione et compositione; Commissarii nominantur.*

### A r t i c u l u s 52.

Quantum vero ad alias privatorum querelas attinet; ut quae adhuc determinata non sunt, determinentur: Quae autem determinata; effectuentur.

§. 1. Cujus quidem Commissionis instituendae et ad eandem peragendam, ex parte Regnicolarum nominantur Commissarii: Reverendissimus Dominus Georgius Draskovith, Episcopus Jauriensis pro Praeside ejusdem Commissionis, vel eodem legitime impedito; Reverendus Dominus Georgius Jakusith, Episcopus Veszprimiensis: Spectabilis ac Magnificus Dominus Comes Joannes Draskovith, Egregii item Magister Petrus Znika, Regni Sclavoniae Protonotarius: et Petrus Solarich.

*Valachorum ex Confiniis Turcicis absque scitu Bani et Regnicolarum, per Capitaneos in ditiones locorum suae Majestatis limitaneorum inductio; non concedenda.*

### A r t i c u l u s 53.

Cautum fuerat per Capitaneos, instituta praenominatae Commissionis Dominorum Commissariorum, ne pluralitas Valachorum, per eductionem eorundem ex Turcia, in Confiniis suae Majestatis, praeter scitum Domini Comitis Bani et Regnicolarum, succresceret:

§. 1. Quorum mandato, cum contraventum sit per Capitaneos; publico etiam Statuto, eadem ulterior deinceps eductio, praeter consensum Regnicolarum fienda; sub poena in contravenientes, legibus Regni sancta prohibetur. \*\*)

\*) Allegatur et urgetur; An. 1647. a. 46. An. 1659. a. 93. An. 1715. a. 113.

\*\*) Renovatur et urgetur; An. 1647. a. 47. An. 1681. a. 62.